

Q. K. 353, 6.

Q. D. B. V.

DISPUTATIO

DE

COGNITIONE  
SUI MORALI

Qvam

SUB PRÆSIDIO

M. ANDREÆ TORKOSII,

Jaurin. Hung.

defendet

GODOFREDUS Weisler /

Zitt. Lus.

SS. Th. & Phil. Stud.

[Ad diem 18. Maj. Anno. 1698.

*In Auditorio Minori.*

WITEMBERGAE,  
Prelo JOANNIS HAKIL.

T. 182  
II f  
1371

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

BIBLIOTHECA  
PRINCIPALIS

X 186 4139

9 24.





D. D. B. N.

DISPUTATIO

DE

COGNITIONE  
SUI MORALI

Quam

SUB PRÆSIDIO

M. ANDREAE TORROSSII

Joanni Hing.

defensor

GODOFREDUS SACHS

Sic. Luc.

22. Th. & Phil. stud.

Ad diem 18. Maj. Anno. 1698.

In Auditorio Minor.

WILHELMBERGAR.  
Pro JOANNIS HAKII.







Si multa sint humano generi scitu necessaria, eis tamen omnibus, notitia sui multum anteferenda est, neque enim is divina se etatur moderatè, nec humana feliciter, qui semet ignorat. Veneranda indè antiquitas sui notitiam tanti fecit, ut illud Chilonis spartani, live Solonis Attici  $\gamma\omega\delta\iota\sigma\sigma\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\gamma$ , non inscripsit modo columnæ Delphicæ, sed ut cœlitus delapsum, veneratione summa coluit. Cæterum opinio non fuit ut membra quis, vel staturam, vel figuram noscat, sed animum, & eum quoq; non physicè, sed moraliter; prout M. T. Cicer. explicare solitus. Ita n. i. Tuscul. ait Præceptum Apollinis, quo monet ut se quisq; noscat, non credo id præcipi, ut membra nostra, aut staturam figuramq; noscamus, neque nos corpora sumus. Cum igitur nosce Te dicit, hoc dicit, nosce animum tuum; nam corpus quasi Vas est, aut aliquod animæ receptaculum. Ab animo tuo quicquid agitur, id agitur a te. Neque absolum erat consilium Socratis, quo suos discipulos, ad usum speculi hortabatur ut se quot diebus ad speculum ornarent, ea gratia si formosi apparerent, formam faciei pulchritudine morum Vincerent, sin deformes, labem hanc vultus noxamq;, animæ formositate abolerent. Nec secus Avicenna jubebat quibus os distortum esset, in speculum inspicere, ut oris ignominiam, verborum honestate tegere niterentur, referente Mureto in oratione de Cognitione sui p. m. 163. Eniavero cognitio sui & omnis sapientiæ fundamentum merito dicitur, & via ad vitam feliciter beateq; agendam. Annuit id Responsum Apollinis Cræso datum, quærenti quomodo felicitatem consequi, & quid agens id quod super erat ætatis beatissimè transigere posset. Respondit enim si se ipsum cognosceret. Sanè hæc sui cognitio ob excellentiam materiæ meruit, ut viri eruditione, doctrina, & meritis illustres de ea agerent peculiaribus tractatibus partim, partim voluminibus. Conabimur & nos, hanc sui cognitionem aliquo saltem modo



de lineare, sed ita, ut nobis caveamus vehementer, ne extra nostrum eamus circulum. Inde æqui futuri erunt iudices, si de moralibus relatis ad agentem actibus quosdam inter positos hic & ibi invenient. *Tu vero sanctissime DEUS nostris adesse velis conatibus.*

### Theorem. I.

DEO Autore se existere homo ut agnoscat, primum est, & eum pie Veneretur.

Expl.

i. Ut nostrum non est inquirere in rerum naturas, ita etiam non conabimur hic monstrare, quantum per se Deus ex investigatione rerum naturalium cognosci queat, sed operam dabimus, breviter ut pateat, quam homo ex dictamine rationis, & lege naturæ mentibus in scriptæ Deum sui autorem cognoscere queat, quod fiet tanto felicius, quanto nobis constabit magis, quæ ratio, quis status, & quæ denique virtus sit L. N. De JCTis quidem constat quod illi, omnem L. N. rationem, in tribus hisce Præceptis constare arbitrantur: Vive honestè neminem læde, suum cuique tribue. Qui tamen numerus multitudini actionum humanarum vix respondet, ex jure naturæ provenienti. Nihilominus Scaliger præf. lib. i. Epidorp. quantum ad numerum ternarium iisdem subscribit, nam & ipse Legis materiam ad tria revocat capita: ita enim inquit: Numen cole summum, Tibi prima ultima meta hæc.

Ne prodige Te, ne tua prodige negligenda

ne Cui facias, quæ tibi facta non placerent. & adjicit;

Istis tribus, omnis capitur beatitudo

Quam qui nihili fecerit, exhibit inanis.

Pari quoque ratione Samuel Rachelius, Vir moralis doctrinæ apertè gnarus J. N. instar disciplinæ seu scientiæ tractando, tria ejus constituit principia, quorum *primum* ponit esse Deum, *secundum* esse quandam providentiam, qua Deus res humanas omnes, & quidem summa cum bonitate ac justitia procuret, *tertium*: animam humanam fore immortalem, vel saltem post

mor-



mortem superstitem. Ex his enim facile colligi posse conclusiones arbitratur quibus homo informari queat, ad ea, quæ DEO præstare obligatur.

2. Nos etsi has eruditissimorum virorum sententias suæ relinquimus auctoritati, ut optimam tamen ex multis probamus sententiam | Excell. Dn. Rhören: Moraliū Prof. in hac Academia Celeberrimi, cujus interfuisse Lectionibus, pro maxima felicitatis nostræ parte habemus. Is enim Legem naturæ sic describit Part. 3. de norma. A. M. cap. 2. §. 10. Lex naturalis est Lex Divina, menti humanæ naturaliter insita, suggerens principia practica, quibus actus honestus præcipitur, turpis vetatur. Hujus enim descriptionis si principium, si objectum, si finem examinemus, apprimè juvabimur in cognitione Dei nostri, & omnium rerum Autoris.

3. Est vero Principium, DEUS Sanctissimus: nam Lex naturæ Divina dicitur ab autore scil. qui Legis prototypi in sanctissima ejus mente existentis *ἔκτυπον* in mente nostra existere voluit, ut doceremur, & ad genuinam ejus cognitionem, & ad vitam voluntati ejus sanctissimæ congruè agendam; Huic firmandæ sententiæ causâ, non possumus non denuo Verba Excell. Rhören: exprimere, qui citato nunc loco, ita loquitur: DEUS est naturæ autor, qui super nos signavit Lumen vultus sui Ps. 4.

4. Quod vero ad objectum Legis nat., illud ut constat, duplex, reale alterum alterum personale; illo neglecto, de Personali id monendum duximus, quod illud vel primum; vel secundarium sit. Secundarium homines, ad quos amandos & beneficiis afficiendos, communis naturæ ratio nos ducit; primum autem DEUS est, cujus existentiam ut in dubium vocare possit homo ratione præditus, tantum ab est, ut etiam sine revelationis lumine confiteri debeat eum esse Potentissimum universi Conditorum & Conservatorum, ut exemplis inferius positis copiosè declaratur. Finis deniq; L. N. ultimus, est cognitio Dei, & cogniti Dei glorificatio atq; cultus. Conf. rursus Excell. Dn. Rhör. p. 227. quibus ita positus non potest non, homo & ratione & notitia L. N. instructus ad naturæ



sufficientem Dei cognitionem pervenire, & cognoscere simul, ut omnia, ita se, Deo imprimis Autore, existere.

5. Exempla passim obvia sunt philosophorum gentili-um, qui Legem mentibus in scriptam & agnoverunt, & doctuerunt, ab ea monstrari viam ducentem ad agnitionem Dei, inter quos mihi omninò eminere videtur Plato, qui libro 4. de Legibus, de Lege naturali insigniter loquitur, & meruerunt sanè ejus verba ut hic assignarentur, sed quia prolixiora sunt, nos quidem non decuit ea hic apponere; Lectorem igitur vel ad autorem ipsum remittimus, vel ad Encomiasten ejus B. D. Schlevogt, qui in disp. suis Academicis disput. XI. de Lumine naturæ §. XXXIV. Verba Platonis studiosè annotavit. Cæterum quia idem Plato Deum ex naturæ Lege cognitum, etiam colendum omnino ducit, hinc in eam devenit sententiam, ut hominis integritatem, in duobus præcipuè articulis consistere statuerit, nempe *ἐν τῇ γνῶσι τῶ θεῶ, & ἐν τῇ ἐμμεσίῳ αὐτῶ θεῶ.* Hanc autem posteriorem ille, virtutem veram, & in eo constitutam arbitratus, si quis nempe studeat quam justissimus fieri, quemadmodum Deus justissimus est, sic enim scribit: Opera nobis danda est, ut quam celerrimè possumus, hinc illuc fugiamus; Fugere autem est, ut Deo quam proximè fieri potest, assimilemur, Deo autem nos assimilat justitia & sanctitas conjuncta cum sapientia.

6. Conformitati verò isti immediatè necitur Laus & gloria Numinis summi; Enimvero præclarè Arist. docuit, lib. 12. Metaphys. cap. 10. ut omnia existunt ex beneplacito & dispositione Divina, ita etiam omnia in ejus laudes & gloriam ordinata, quod eleganti simul illustrat exemplo, à conditione Ducis atq; exercitus desumpto, scilicet Universum hoc, cum exercitu; ac Deum Opt. Conditorum Universi cum Duce comparando. Ut enim Dux, inquit ille, non est propter exercitum, sed exercitus pp. Ducem, ita prima Universi causa non est propter universam, sed univesū potius & omnes res factæ, propter primam sui causam. Hinc etiam nulla gens tam immanis & crudelis inventa est, quæ non aliquas religiosas Ceremonias exercuerit, Deumq; sibi conciliare studuerit. Ubi præcipuè



cipuè admiratione dignum, Gentilium quosdam, omnem à cultu suo hypocrisin profligasse, quo de Cic. lib. 2. de natura DEORUM, Cultus DEORUM est optimus, inquit, idemque castissimus atque sanctissimus, ut eos semper pura integra ac incorrupta mente veneremur.

### Theorem. II.

Nosce homo animum noxiis involutum vitiis, & eum, ut fas est, emendare stude.

explicatio.

1. Non potest ignorare homo se perversum esse, quippe malum per naturam in homine hæret; at vero superba persuasio quorundam animos occupavit, ut & semet ipsos a vitiis immunes dicant, vel si quæ in illis vitia non ea ex se, sed Jove dirigente ut facto sic exigente arbitrentur; Ita Seneca in Oedipo non sibi, sed facto culpam adscribit: Fati ista culpa est, inquit Nemo sit fato nocens. Ita & Homerus in Iliade: Ego non in culpa sum, inquit, sed Jupiter & aërivaga Erinnyes. Ineptam vero hanc sententiam lepidè elusit Zeno, apud Diogenem ut ait Laertius lib. 7. Is enim servum in furto deprehensum verberibus excepit. *Eò verò dicente:* Mihi ut furarer factum erat; & ut Vapulares, inquit. Sed ab iniquâ hac sententiâ, perversa illa opinio nihil distat, quæ ex situ, vel positu siderum, inevitabiles rerum eventus colligit, Manilius hujus sententiæ assertor præcipuè censetur, ita enim ipse lib. 4. pronunciat: Furit alter amore,

*Et Pontum tranare potest, & vertere Trojam,*

*Alterius fors est scribendis Legibus apta.*

*Ecce Patrem nati perimunt, natosque parentes,*

*Mutuaque armati coeunt in vulnera fratres:*

*Non nostrum hoc bellum est, coguntur tanta movere;*

*In que suas ferri pœnas, lacerandaque membra:*

*Hoc quoque fatale est, sic ipsum expendere fatum.*

2. Merito igitur ad explorandum animū eumque cognoscendum allaborat homo, in quo tamē, negotio, infigne præstat subsidium Pauli Egardi tractatus de τῷ γυμνασίου αὐτοῦ part. I p. 264.

ibi



ibi enim autor. 28. vitia animo hominis altè inhaerentia enu-  
merat, ut sunt ignorantia DEi, in credulitas stulta sapientia,  
curiositas, blasphemia, oblivio DEi, in obedientia in DEUM  
*aisopyia*, ira, Odium, Vindicta cupiditas, invidia, immisericor-  
dia, avaritia, infidelitas, in iustitia, contemptus proximi, ca-  
lumnia, mendacium & Vanitas, ignorantia sui, philantia, a-  
mor mundi, & Creaturarum ignavia, Temeritas, superbia,  
incontinentia, obstinatio & durties, denique hypocrisis.

3. E quibus unum vel alterum saltem contemplationi  
exponimus, quum omnia illustrasse vel applicuisse, tedium  
juxta & prolixitatem pareret; Stulta vero sapientia, quia ma-  
ximam habere censetur turpitudinem, pro primo erit argu-  
mento. Ejus quippe ratio ea est, ut animum efficiat tumen-  
tem, & pra nimio sui amore turgentem quasi, eò quod, & o-  
pera DEi, mysteria, judiciaq; praeposterè habet, & mandata e-  
jus, atque justissima instituta parvi pendit, aut nihili prorsus.  
Ea autem etsi apud omnes fermè creaturas rationales depre-  
hendatur, quæ sæpiusculè quidem supra DEUM sapere volunt,  
maximè tamen eorum inhaeret animis, qui Philosophicis Prin-  
cipiis quandoque contra manifestam DEi ordinationem insti-  
tutis, morosè nimis inhaerent; quales veteres censendi A-  
strologi, in dispensabiles rerum eventus è Natura & dispo-  
sitione astrorū defendentes, quibus adjungendi Chyromantæ,  
nescio quam vanis Capti opinionibus, quasi lineamenta in pal-  
mis & fronte deprehensa, infallibile documentum sint felicitatis  
futuræ, vel infelicitatis, cum nemo nôrit vias hominis præ-  
ter DEUM. Istos tamen Utrosq; multum excellunt magicis arti-  
bus imbuti; in quorum stultam sapientiam vel ideò nobis in-  
quire non licet, quod peculiare ipsis cum Satana fœdus sit.  
Huc pertinet etiam nimius propriæ sententiæ amor, quam  
quis agnito etiam errore, non modo non corrigit, quin & con-  
tra dictamen conscientie mordicus defendit. Contra hos  
Grægorius Loquitur, citante P. Egardo; Sapientia illa, inqvi-  
ens, clara est, non quæ verbis volat, sed quæ virtutibus con-  
stat. Neque tenax errorum, patronos invenit unquam, in-  
venit autem hostes; Nam & Cic. contra perseverentiam in er-  
rore,



rore, ut mihi quidem videtur maximum stultæ sapientiæ cri-  
men, ita loquitur: Cujusvis est hominis errare, nullius nisi  
insipientis, in errore perseverare, it. humanum est peccare,  
belluinum in peccato manere.

4. Sapientiæ vero inordinatæ affinis esse videtur super-  
bia, quæ animum vid. intumescere facit, vanisq; & insolitis  
induere opinionibus. Vitii hujus Egard. p. 330. ortum an-  
notat & signa. Horum enim quinque præcipuè recenset 1. Ca-  
put elevarum atq; hinc inde jactatum, 2. Luxum & molitiem  
vestium, 3. fucum faciei, 4. in cessum lascivum, 5. Sermonem  
luxuriantem, atqve gestu irregulari in aliorum contemptum  
prolatum.

5. Cæterum agnito animo vitiiis induto, medela qua-  
renda, quæ sanari, corrigi & emendari queat. Enim vero quia  
homo in theatro naturæ & fortunæ est collocatus, ut vitam  
vivat animo & corpori utilem necesse est, quod quidem fit in  
tantum, in quantum ad virtutes devenire conatur homo. Vir-  
tutes enim via sunt felicitatis, & instrumentum beatæ condi-  
tionis. Ita enim Alexander lib. 2. de anima, cap. 43. sentit:  
Virtus est perinde ac opifex felicitatis, & quia omnis artifex  
necessario eget instrumentis suis, nec sibi soli est satis, ita na-  
tura & fortunæ munerâ virtute ut instrumento promoven-  
tur. Verum quibus viis vel mediis ad veram devenire virt.  
quis possit, studiosè non inquiram: non enim mei est officii  
tricas movere vel certamina, Nihilominus opinio Picolomi-  
nai placet, qui tractatus sui p. 235. de mediis deveniendi ad  
virtutem, & erudite & prolixè discurret; cujus tamen senten-  
tiam verbatenus recensere non licet pro spatii angustiam, sed  
ea, quæ prolixè dicta sunt, in summam contraham; Vix e-  
nim, inquit Pic. duplicis sunt generis: vel enim nobis in sunt  
per naturam, vel nostra industria comparantur. Quæ per  
naturam nobis in sunt, duplicis rursus generis sunt; Instin-  
ctus nempe, sive naturales virtutes, & demum probæ animi  
affectiones. Quæ vero nostrâ comparantur operâ, vel persi-  
nent ad utrumque sensuum appetitum, ut est obedientia, vel  
solam rectè afficiunt cupiditatem, & est continentia.

6. Quæ



6. Quædam his adjicienda essent de virtutibus, & monstrandum, quæ ex eis præcipuè excolenda & eligenda; sed quia omnes omnino virtutes, per se appetibiles sunt, etiam omnes excolendas judico. Non me quidem fugit distinctio inter virtutes cardinales, & homileticas facta, sed ea tñ. authoritati virtutum detrahit nihil.

### Theorem. III.

**Animus ut ex se virtutibus ita etiam artibus caret, proinde succurrendum ei industria.**

#### Explicatio.

i. Facultates animis nostris in esse nemo negat facile, quæ tamen si negligantur hebescent, si colantur vero, altius crescunt. Inde primum est, quod pro animo artibus imbuedo observandum venit, nempe ut ignavia omnis removeatur, quæ si animum occupavit, a Deo illum retrahit, ut rebus Divinis parum, vel prorsus nihil operæ impendat. Omnia nobis mala, ait Seneca, solitudo persuadet: mens obtusa in mille facinorum furias discurret, a vertit etiam animum a quo vis labore honesto, & ad comparandam famam utili, & insuper habet illud:

Qui studet optatam cursu contingere metam,  
Multa tulit fecitque puer sudavit & alfit.

Vigilando, ait Salustius, agendo bene consulendo prospere omnia cedunt: Nemo unquam ignavia immortalis factus est.

ii. Liberato animo ab ignavia, ere est, ut suum quisque ingenium ad examen vocet, &, quid ferre valeat, exploret. Hic enim Huarto non assentimur, qui in scrutinio ingeniorum diserte docuit, posse aliquem nasci sapientem, proinde etiam Leges præscribit parentibus quibus usi, filios generare queant sapientes, ac tali præditos ingenio, quod ad ediscendas literas esset commodissimum. Habuit etiam Huartus imitatore suum Abbatem quendam, nomine Claude quillet, qui poema concivit amœnum alias, quo in quatuor libros disposito, titulum eis imposuit Callipædias. Agit autem Claude Quillet in primo suo libro de deligendis sponfis ad pulchram prolem generandam; in secunde de Legibus in concubitu servandis, atque astro-



astrologicis cautelis; *tertio* de cura pręnantum, & viribus i-  
maginationis, *quarto* de promiscuis ad pulchritudinem pa-  
randam pręceptis, quo de conf. Bailettus lib. de judic. Docto-  
rum Tom. 4. part. 5. de Poëtis Num. 1511. qui etiam suam ad-  
dit epirrhin, & acerbius de Abbate judicans addit; plus quam  
decet Abbatem, & ultra quam honestas patitur argumento  
huic debitum esse, magis enim in illa arte se Abbas, quam  
Laicorum exercitatisimus profecisse ostendit. Dictio quoq;  
non satis castigata, & vulgaria pleraque in carmine reperun-  
tur. Neque tamen primus erat Huartus, qui hanc foveret  
sententiam. Etenim, referente Morhof. jam antiquis tem-  
poribus, de Democrito narrabatur, Divinum illum & cęle-  
ste pharmacum invenisse, quod fortunatos & sapientes ho-  
mines efficeret lib. 2. c. 1.

Sed merito mittimus illos animorum fabros, nostro operam  
daturi negotio, svadentes, ut quisque suum exploret, quibus  
artibus & cui pręcipuę studio sit aptum. Non enim ex quo-  
vis Ligno fit Mercurius, nec omnia possumus omnes: Nam  
& Stoici felices vocabant illos, qui nossent quo genio uterentur  
& *εὐδαίμονες* dicebantur, quibus bonus obtigerat genius. Ve-  
rum an ad explorandum ingenium faciat illud Comitii, penes  
quemque esto iudicium, cum ille in oratione de arte paran-  
dę famę, metallis comparat hominum ingenia. Dicit enim  
quędam esse aurea, plumbea quędam, alia vitrea, alia ę variis  
metallis mixta, magnoque conatu naturam metallorum in-  
geniis applicat. Mihi quidem magis aridet sententia Mor-  
hofii, de cognoscendo ingenio qui loc. cit. tria imprimis po-  
nit bonę indolis documenta, celeritatem apprehendendi,  
sagacitatem, & deniq; memoriam. Etsi enim hęc tria rariuscule  
in uno inveniuntur subiecto, ubi tamen inveniuntur, ibi feli-  
cissimum esse ingenium, dubium non est. Plura vero qui  
hęc de re scire desiderat, adeat Huartum & Morhof. loc. cit.

4. Cognito autem ingenio congruis studiis applican-  
dum est, eis nempe, in quę naturali velut instinctu defertur.  
Est quippe animis vehemens cupiditas hanc vel illam discen-  
di artem, qui voti compotes insigniter excellere consvērunt,



proinde etiam hortatur D. Puff. in J. N. & G. p. 257. cuilibet  
mature capeffendum & eligendum genus vitæ, honeffum,  
proficuum, & fuæ capacitati conveniens. *Ægyptios & Indos*  
quilibet Paternam artem excolere jubebatur, testante Diodo-  
ro Siculo, l. i. c. 74. Nec ineptus est Euryphamus Pythago-  
raus, hominem Lyrae affimilando, quæ tribus opus habet,  
conffruetione, contrectatione, & concinnitate, quorum ulti-  
mum ad ingenium hominis maxime refpectum habet, ut-  
pote quod iis applicandum objectis, quibus aliqua cum in-  
genio concinnitas est.

5. Applicandum in fuper ingenium iis ftudiis, quæ uti-  
litatem fpirant. Ars eft longa, fed tempus breve, non ergo  
breve illud tempus nugis, fed feriis confecrandum eft. Cæ-  
terum ad discernenda ftudia, quæ præ aliis valeant, acri opus  
eft iudicio, quo ut polluit Illuftr. Puffend. ita etiam omnes fci-  
entias in tres partitus eft claffes. Alias enim dixit *Utiles*, a-  
lias *Curiofas*, alias *inanes*. Ad utiles referebat *Theologiam*, im-  
primis cuius, ut conffat, absoluta neceffitas & utilitas eft; *Do-*  
*ctrinam Moralem*; quæ circa culturam animi, & focialis vitæ  
promotionem verfatur; *Medicinam*, cuius ratio in promoven-  
da hominis falute conffitit, & denique *Mathefin*, quæ tanto eft  
utilior, quanto præffantiores funt artes ex inde natae. Ad  
curiofas referebat cognitionem *variarum Linguarum*, fubti-  
lem *naturalium rerum* inqvifitionem, *fubtiliores partes Mathe-*  
*feos*, *hifloriam omnigenam*, *Criticam*, *Poeticam*, *Oratoriam*, & his  
fimiles. Ad inanes denique pertinere dixit erroneas fcientias,  
obfcuriora & abffrufa veterum Philofophorum dogmata, nec  
non fubtilitates philofophicas, quibus inventor ultra crepidam  
fapere videbatur. Quæ nos fuo loco relinqvimus id modo  
addentes, non inane protenus effe, quod fubtile ac abffrufum  
eft. His ita difpofitis eruditionis Tyro, id ftudii genus fibi  
eligeret, quod ingenio fuo congruum & ftatui fuo utile eft. De  
Aristippo Laertius, lib. 2. refert, quod is in terrogatus, quæ-  
nam funt ea, quæ pueros honeffos addifcere oporteat? ea, re-  
fpondit, quibus, cum viri fuerint, utantur.

6. Bre-



6. Brevis hic quoque sermo instituendus esset de subsidiis animorum, seu de mediis quibus animus in addiscendis literis sublevari possit; Verum quia de iis illustres autores multa tradidere, nos tacuisse decet: nihilominus non possum non, quin unius saltem mentio fiat. Exercitationem enim optimam eruditionis viam esse, communis eruditorum consensus approbat. Multi vero etiam eò delapsi sunt, ut statuunt, Linguam Latinam usu saltem addiscendam esse, nullo grammatices usu adhibito, in qua sententia & B. Morh. erat. Docuit enim, eam esse grammatices difficultatem, quæ est vel Metaphysices, vel Logices, ineptosque eos esse arbitrat, qui grammaticis minutis puerorum ingenia torquent. Citavit etiam Scioppium, qui de se confessus, se nullam didicisse grammaticam Latinam, sed post declinationes & conjugationes memoriæ mandatas, ex quotidiano Latine loquentis usu & Lectione autorum, sex mensium intervallo Latine loquentis intelligentiam consecutus. Nos equidem ab hac sententia non omnino discedimus, præceptis tamen moderatè & sufficienter compositis, non possumus non ingentem utilitatem tribuere, sententiæ nostræ varias addituri rationes, si spacium permitteret.

#### Theorem. IV.

#### Corporis ratio quoque habenda.

##### explicatio.

1. Post culturam animi ad corporis curam respiciendum, cuius nos quidem materiam, vel internam constitutionem, nec ad examen vocamus, nec explicamus, benignari, nostri id non esse instituti; sed externas qualitates ejus, leniter delibabimus. Corporis autem pulchritudinem Poeta Ethnicus primum admiratus est, eo quod cerneret omnes creaturas ita in corpore dispositas esse, ut terram intueri eoggerentur, solus autem homo capite est elevato, ut continuo cælum coram oculis haberet; inde sic cecinit:

B 3



*Pronaque cum spectent animalia cetera terram  
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri  
Jussit, & erectas ad sidera tollere vultus.*

Hunc Egardus imitatur, qui in libro suo de cognitione sui prædicatum elegantissimæ creaturæ, humano jungit corpori. Nullum est opus in toto mundo, inquam, quod majori arte & sapientia elaboratum, majoremq; admirationem mereatur, quam corpus humanum. Sanè Cœlestis ille artifex in condendo humano corpore, omni ex parte pulcherrimo, clarissimum suæ sapientiæ testimonium ob oculos ponere voluit. Nos equidem unde corporis pulchritudo, vel in quo præcipuè consistat, non scrutamur. Sed ejus rationem tanto majorem habendam arbitramur, quanto majori eminent præstantia, ex reliquis creaturis omnibus, vel & ideo, quod proximum animæ instrumentum est, cui congruenter sua præstare nequit servitia, ni cura in id impendatur, observavit id *Levinus Lemmius*, proinde sic loquitur: Si enim domus operam, ne ædes nostræ palustres sint & uliginosæ, ne tectum & culmina pluvix ventisque exposita rimis fatiscant, ne denique vestes ac tegumenta situ obducta, minusque ventilata, tineis, blattisque scateant; quanto magis corpori prospicere par est? cujus vitia animum quoque per consensum, ac Lege consortii afficiunt, atque ultro citroque commeant. Nam

--- corpus onustum  
externis vitiis animum quoque pergravat una,  
atque affigit humo Divinæ particulam auræ.

2. Danda ergo opera, ne nimis & supervacaneis doloribus corpus affligatur, ut hoc præcipuè tempore mos est *Papicolæ gentis*, quæ semet virgis & flagellis crudelissime cadunt, & inediâ marcescere faciunt, aut solida habitatione, à præcipuis humani corporis actibus privare conantur. Vana capti opinione, quasi Dei cultus in tantâ corporis afflictione, aliqua ex parte constet, cum isti non modo in propria corpora, quin & in Dei ordinationem vehementer peccent, ut eos tanti vitii *Ill. Puffend.* merito arguit in *J. N. & G. p. 258.*



In statu, *inquiens*, sanæ rationis aduerso vivunt, qui muneribus vitæ communis se præter necessitatem subtrahunt, ut multi sunt ex Eremitis, Monachis, & Vetustiorib. philosophis, item varia mendicabula, quorum nequitia tanto major est, si ultro sibi membra distorqueant, aut mutilent, ut ne, si velint quidem, frangi deinceps esse possint!

3. Cæterum quia bene valere optimum est, hinc maxime, ut sanitas corpori constet, e re videtur esse, opera danda, inquit Excell. Rhœnens. ut corpori adsit sanitas, integritas & agilitas membrorum, cum decenti symmetria partium & forma. Hanc sanam & salubrem formam vitæ tenere memento, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Sanitas vero temperantiâ præcipuè conservari potest, quum nec nimia ingurgitatione, nec insolita a cibo abstinencia, corpus affligitur, ut enim in his & excessus & defectus virtutis consistit, ita etiam prohibuit Christus: Videte, *inquiens*, ne quando graventur corda vestra, crapula & ebrietate; cui adjici simul potest illud Cornelii Celsi scitum: ubi ad cibum ventum est, nunquam utilis nimia satietas, sæpe inutilis nimia abstinencia, neque ex satietate fames, neque ex fame satietas, & immodica ingurgitatio idonea est.

### Theorem. V.

### *Autoxeipia* fugienda.

#### Explicatio.

1. Eleganter ab omni vi sibi ipsi inferenda de hortatur Lactantius, Divin. inst. lib. 3. c. 18. sicut in hanc vitam, *inquiens*, non nostra spontè venimus ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tam diu habituros, donec jubeat emitti. Etenim ut omnis violenter sibi met illata vis contra jus naturæ est, ita præcipuè *autoxeipia*, adeoque etiam *αὐτοχέιπας* non in se ipsos, sed in Civitatem injurii dicuntur, quam ad desertoris instar, aut infrequentis mili-



1371  
mailitis veluti deseruerunt; quapropter neque crudelitatis est, neque barbaræ sæ vitæ, si isti post mortem ignominiosa afficiantur sepultura, ut, prolixius apud Moralistas in doctrina de jure sepulturæ docetur.

2. Sed iniqua opinio, Stoicorum imprimis animos pervasit, adeo ut sibi persvaserint, violentas in se conferre manus fortitudinis esse, nixi hoc pronunciato: Non esse penitus, melius est, quam miserum esse; quibus tamen dudum satisfecit Aristoteles 3. Moral. Nicomachiorum, cap. II. Mori, inquit, vel ut paupertatem, vel amorem, vel molesti quidpiam fugiamus, fortis viri minimè est, sed potius timidi, quippe cum laboriosa fugere molities sit. Cui adjungi potest Martialis lib. XI. Epist. 57.

*Rebus in adversis facile est contemnere vitam,*

*fortiter ille facit, qui miser esse potest.*

Nequè illi excusandi, multo minus fortes judicandi sunt, qui ut vehementiorem atque ignominiosam mortem evitent, sibi manus inferunt, cum quis in propriam nihil dominii habeat, & quemadmodum nemo potis est eam prolongare, ita nemini fas est eam decurtare, quod annu. Plato in Phædone in custodia quadam, inquit; Nos homines sumus, neque decet quenquam ex hac se ipsum solvere, neque aufugere. Caterum plura de hac materia dici poterant, Verum merito mihi meo, ne in statutum Ampliss. Phil. Facultatis prolixitate peccem. Adeoque plura qui scire desiderat, adire potest Puffend. in J. N. & G. lib. 2. cap. 4. §. 19. Piccolom. in Phil. de Moribus, de Virt. Heroicæ cap. 16. seqq. Excell. Du. nostrum Röhrensee in citato sæpius tractatu ejus Part. 4. Clas. II. §. 12. de Virtute morali ad agentem relato, & alios.

S. D. G.



